

- 104 Tradunt vero Auctores hujus affirmativae sententiae, quod si reservatio concernat ea, quae sunt voluntariae jurisdictionis, minime repugnat, ut ipsa exercentur ab ipso Capitulo; contra vero si reservata sint illa, quae spectant ad Jurisdictionem contentiosam, debeant haec a Capitulo alteri delegari.
- 105 Negativam vero sententiam tenent Fagnan. in cap. His, quae 3. num. 72. de major. & obed. Leuren. de Vicar. tract. 3. cap. 5. quasi. 565. num. 5.
- 106 Quod si Capitulum haud potest aliqua sibi reservare Vicarium Capitularem eligendo, multo minus potest quidem ad se advocare postquam jam Vicarium Capitularem elegerit; Leuren. ubi supra q. 567. num. 2.
- 107 Ex his etiam patet vera resolutio ad quaestionem, de qua agit Auctor num. 40. an scilicet possit Vicarius Capitularis vigore suae electionis exercere ea, quae speciale mandatum Episcopi requirunt respectu Vicarii Generalis. Si enim Capitulum nil sibi potest reservare eligendo Vicarium Capitularem, non est quod Vicarius Capitularis opus habeat ullo speciali mandato exercere valet; Leuren. loc. cit. quasi. 568. num. 2. ubi rationem differentiae tradit. D

VICARIUS FORANEUS.

SUMMARIUM.

- 1 Vicarius Foraneus quis dicatur.
- 2 Quare dicatur Foraneus.
- 3 Episcopus tenetur Vicarios Foraneos in diocesi constituere.
- 4 Ad munus Vicarii Foranei qui eligi debeant.
- 5 Vicarii Foranei amoveri possunt arbitrio Episcopi, & ab ipso puniri, si in Officio desecerint.
- 6 Jurisdiclio Vicariorum Foraneorum est omnino limitata.
- 7 Vicarii Foranei ordinarie non possunt se intromittere in Criminalibus, nisi informativum processum faciendo.
- 8 Potest tamen ab Episcopo id eis concedi.
- 9 Ad Vicarium Foraneum, & non ad Parochum, nisi ipso Vicario absente, spectat dare licentiam laborandi die festo, & contravenientes multare.
- 10 Et talis licentia in scriptis concedi debet, & non ore tenui.

Interim quod literae Apostolicae Praelati de aliqua ecclesia provisi, Capitulo haud praesententur, ministrare episcopatum non posse asserit A. quod quidem juri Indico non convenit: nam regni patronatus virtute, eo ipso quod aliquis in Episcopum nominatur, regia schedula expediri jubetur, ut ecclesiae cathedrales, interim dum Sanctae Sedis Fiat pervenit, consecranturque provisi, Archi- & Episcopatum regendi facultatem concedant (1). Electio facta a Vicario Capitulari, dum parochiales ecclesiae per concursum conferuntur, si Sede non plena vacaverint, nullis roboris dijudicatur: nec ad Summum Pontificem pro electi approbatione est recurrendum; nam electio similis post concursum, nominationemve, est Regiae Majestatis privativa (2). An Vicarius Capitularis, prout etiam Generalis, gaudeat auctoritate permutationem unionemve beneficiorum facienti, suo loco proponitur: ibidemque satisfactio praestatur. Dumtaxat animadveritur, quod si de regii patronatus jure, quae uniantur, aut permittantur, fuerint, regius assensus praenecessario assistendus (3).

Assassinus, cum ecclesiastica haud fruatur immunitate, licet unicum tantummodo commiserit crimen, dum mors, membrorumve mutilatio cui sit istud illatum, illico sequatur (4), etsi necessaria esse debeat illius declaratio super immunitate, tamen verificata negativa declaratione, nullas censuras post factam Curiae seculari traditionem, si in poenam ultimi supplicii damnatur, declarans, & cooperans incurrent (5).

(1) Auct. acoed. 1. tit. 6. lib. 1. Ind. Su Magestad en virtud del patronazgo está en posesion de que se despache su cédula real, dirigida a las Iglesias Catedrales Sede-vacantes, para que entre tanto que lleguen las Bulas de su Santidad, y los presentados a las Prelacias son consagrados, les den poder para gobernar los Arzobispados y Obispados de las Indias; y asi se executa.

(2) Vid. verb. Beneficium.

(3) Vid. id.

(4) Concord. 1737. Art. 2. La inmunidad local no

- 11 Pana pro transgressione festorum debet esse moderata.
- 12 Neque debet excedere 5. vel 6. Julios in loca pia distribuendos, deducta tertia parte pro executoribus.
- 13 Ac etiam pro ipsis Vicariis Foraneis secundum aliquos, sed non secundum Taxam Innocentianam.
- 14 Vicarius Foraneus nulla gaudet praecedentia ratione Vicariatus.
- 15 Etiam quaecumque contraria consuetudine non obstant.
- 16 Vicarius Foraneus debet in Processionibus, & Choro uti cotta, sicut alii Presbyteri, nec ratione sui Officii debet ante alios habere Thuris, & pacis honorem.
- 17 Vicarii Foranei residere debent in locis, ubi constituti fuerint, vel in alio non multum distanti.
- 18 Vicarii Foranei non possunt ultra solitam puncturam multare absentes a choro.
- 19 Neque possunt Canonici prohibere, ne congregentur sine eorum licentia.
- 20 Vicarius Foraneus, si sit Canonicus, non debet habere majorem portionem ex funeribus, quam si esset simplex Canonicus.
- 21 Vicarii Foranei, & alii Rectores non tenentur aliquid dare Ministris Episcopi per diocesim discurrentibus, nisi cubile, & lumen.
- 22 Episcopus concedere debet Vicariis Foraneis facultatem, ut indigentibus impertiri possint licentiam vescendi cibis veitis, & hoc omnino gratis.
- 23 Non debet Episcopus prohibere Parocho, ne celebret Officium mortuorum sine interventu Vicarii Foranei.
- 24 Non potest Episcopus delegare facultatem Vicariis Foraneis concedendi monitoria.
- 25 Episcopus praeter Vicarium Foraneum non debet retinere in locis diocesis alios Potentatos.
- 26 Vicarii Foranei obedire debent omnes Curati, & alii Clerici cujuscumque Dignitatis sint.
- 27 Vicarii Foranei congregare possunt Presbyteros sui Vicariatus singulis mensibus ad conferendum inter se difficultates Ecclesiae.
- 28 Quodnam sit eorum Officium?
- 29 Tenentur significare Episcopo Curatos non residentes in sua Parochia.
- 30 Vicarius Foraneus dependet a Vicario Generali, nisi specialiter eximatur.
- 31 Alia usque ad num. 36. satis summatim referuntur.
- 37 Subnectuntur Supplementa Auctoris, ad num. 44.

VICARIUS FORANEUS dicitur ille, qui in certa parte dioc-

sufrágue en adelante a los Salteadores o Asesinos de caminos, aun en el caso de un solo y simple insulto, con tal que en aquel acto mismo se siga muerte ó mutilacion de miembros en la persona del insultado. Igualmente que el crimen de lesa Magestad, que por las Constituciones Apostolicas está excluido del beneficio del asilo, comprehenda tambien a aquellos que maquinaren ó trataren conspiraciones dirigidas a privar a S. M. de sus dominios en todo ó en parte. (verb. Forum).

(5) Vid. verb. Spolium, per tot.

- diocesis extra civitatem Sedis Episcopalis, vel in oppidis per Episcopum constituitur, ut ibi Jurisdictionem quamdam exerceat; cap. Romana 1. de Officio Ordinarii in 6. & ibi Glossa verb. Foraneos, & alia Glossa in Clement. Etsi principalis 2. de rescriptis verb. Foraneos. Et dicitur Foraneus, quia foris, seu extra locum, in quo Sedes Episcopalis reperitur, Episcopi vires agit juxta traditam sibi potestatem; Glossa in cit. cap. Romana 1. de Officio Ordinarii in 6. verb. Foraneos, & alia Glossa in cit. Clem. Etsi principalis 2. de rescriptis in casu verb. Nota.
- 3 Episcopus tenetur Vicarios Foraneos in diocesi constituere; Concil. Mediol. I. part. 2. tit. de Vicariis Foraneis, Sac. Congr. Episcop. in Trojana 27. Martii 1590. & 10. Maji 1677. Et ex hoc minus Vicarii Foranei eligi, & constitui debent Archipresbyteri, & Praepositi locorum, vel alii in dignitate ecclesiastica constituti; Sin minus, eligi debent Rectores ecclesiarum parochialium diocesis quantum possibile erit; Conc. Med. I. loc. cit.
- 5 Vicarii Foranei amoveri possunt arbitrio Episcopi, quotiescumque voluerit, & puniri possunt, si male se gesserint in Officio sibi mandato; Concil. Mediol. I. loc. cit.
- 6 Jurisdiclio Vicariorum Foraneorum est omnino limitata, cum concedatur solum pro certa parte diocesis, & limitatis locis, ac solum pro certis, & limitatis causis civilibus ibidem occurrentibus usque ad certam, & limitatam summam, v. g. quinque scutorum, plus minusve, prout liberur, ne partes pro quolibet levi re cogatur semper se conferre ad civitatem, & comparere coram Vicario Generali; Sac. Congr. Episcop. in Trojan. 27. Martii 1590.
- 7 In criminalibus autem non possunt ordinarie se intromittere, nisi informationes capiendo, & formando processum informativum ad effectum illum transmittendi ad Vicarium Generalem cum relatione totius facti; Sac. Congr. Episc. in Motulensi 9. Junii 1592.
- 8 Potest tamen ab Episcopo eis concedi, ut se intromittant in omnes causas Cleri alicujus oppidi, seu sui limitati Vicariatus, tam civiles, quam criminales, & mixtas, exceptis illis, pro quibus poena corporis afflictiva est imponenda; Sac. Congr. Episcop. in Tarentina pro Oppido Martina 7. Julii 1567.
- 9 Ad Vicarium Foraneum, & non ad Archipresbyterum, sive Curatum, nisi ipso Vicario absente, spectat dare licentiam laborandi die festo, & contravenientes multare; Sacra Cong. Episcoporum in Cerenyina 2. Augusti 1594. & in Muterana 18. Novemb. 1597.
- 10 Et talis licentia in scriptis concedi debet, & non cretenus; Ead. Sac. Cong. 21. Augusti 1615.
- 11 Poena pro transgressione festorum debet esse moderata, & si fuerit exorbitans, reduci debet ad arbitrium Ordinarii, & reliquum, si fuerit exactum, restitui; Sac. Cong. Episc. in Ravennatensi 16. Januarii 1601. in Bellicastrensi 1. Septemb. 1603. & in Cornetan. 12. Decemb. 1624. Neque debet excedere 5. vel 6. Julios in loca pia distribuendos, deducta tertia parte pro Executoribus, licet quis deprehensus fuerit in fragranti post publicatum edictum; Sac. Cong. Episcop. in Teracineni 14. Decemb. 1594. Et tertiam partem poenae, seu multae, quae a violatoribus festorum exigitur, debet Vicariis Foraneis, tenet Pellegrinus de Vicario Foraneo subsection. unica num. 6. dicens, quod ubique servatur, quod poena praedicta applicentur Vicariis Foraneis, & eorum Executoribus, & quod sic censuit Sac. Cong. Episcop. in Thansen. 5. Februarii 1591. At hodie attendenda est Taxa Innocentiana §. Le peno, e multe, ubi statuitur, quod applicentur usui locorum priorum. (Vide verb. Multa).
- 14 Vicarius Foraneus ratione sui Vicariatus nullam habet praecedentiam in choro, sessionibus, & processionibus, & aliis actibus, & functionibus ecclesiasticis supra alios Parochos, Canonicos, & Presbyteros ipso antiquiores, & digniores, sed debet ipse Vicarius stare, sedere, & incledere in loco suae receptionis, & Dignitatis, ac si non esset Vicarius Foraneus.

FERRAR. BIBLIOTH. TOM. IX.

tam cum cotta, quam sine illa, non obstante quacumque ordinatione Episcopi in contrarium, praterquam in Congregationibus, quae de mandato Episcopi singulis mensibus fiunt, in quibus tamquam Episcopi Delegatus praecedere debet omnibus, non tamen in processionibus, missa, & aliis, quae fiunt ante Congregationem; Sacra Congr. Rit. in Brundisina 17. Nov. 1600. in Oritana, & Catanens. eadem die, & anno, in Marsicens. Spoletana, & Bononien. 11. Aprilis 1601. in Regien. 2. Martii 1602. in Troplen. 25. Januarii 1605. in Neocarrens. 12. April. 1606. in Comm. Valevaciae 19. Martii 1611. in Nucerna 25. Junii 1611. in Syracusana 7. Julii 1612. in Hydruntina Spoleti 2. Mar. 1613. in Mediolan. Corbette 3. Decemb. 1616. in Campana terrae Austriacae 12. Mart. 1618. in Messanen. Terra Castri 7. Septemb. 1618. in Spoletana Terra Cascia 23. Martii 1619. in Salernitana 27. Martii 1628. in Nerivonen. 22. Decemb. 1629. & in Tranen. 9. Aprilis 1633. & saepissime alibi. Etiam quacumque consuetudine contraria non obstante; Ead. Sac. Rit. Cong. in Syracusana 8. Junii 1630.

Vicarius Foraneus debet in processionibus, & choro uti cotta, sicut alii Presbyteri, nec ratione sui officii debet ante alios habere thuris, & pacis honorem; Ead. Sac. Congr. Rit. in Tranen. 24. Septemb. 1605.

Vicarii Foranei residere debent in locis, ubi constituti fuerint, vel in alio non multum distanti; Sac. Congr. in Trojanen. 12. Decemb. 1646. Locus autem debet quidem esse numerosus.

Vicariis Foraneis non licet multare Clericos, vel Presbyteros, qui non veniunt ad horas canonicas, ultra solitum punctum amissionis distributionum quotidianarum; Sac. Cong. Rit. in Brundisina 4. Martii 1606.

Neque possunt Vicarii Foranei contra usum, & consuetudinem Ecclesiae prohibere Canonicis, ne Capitulum faciant sine sua licentia; Sac. Cong. Rit. in Orien. Callie 16. Decemb. 1605. & ead. Sac. Congr. 16. Decemb. 1616.

Vicarius Foraneus, si sit Canonicus, non debet habere majorem portionem ex funeribus, quam si esset simplex Canonicus; Sac. Cong. Rit. in Bononi. Castr. Sancti Joannis 7. Octobris 1617.

Vicarii Foranei, vel alii Rectores non tenentur quidquam solvere, aut dare Cursoribus, aut aliis Episcopi Ministris per diocesim discurrentibus, sed tantum ministrare debent cubile, & lumen; & si victum eis praebant, ab Episcopo repetere possunt; Sac. Cong. Episcop. in Lycien. 5. Februarii 1591. & in Balneoregien. 6. Augusti 1602.

Episcopus in sua diocesi concedere debet facultatem etiam Vicariis Foraneis, & Archipresbyteris, ut de consilio Medicorum impertiri possint indigentibus licentiam vescendi cibis veitis, quae detur omnino gratis, ita ut nec pro scriptura quidquam accipere liceat; Sac. Cong. Episcop. 20. Augusti 1591.

Non debet Episcopus prohibere Parocho, ne celebret officium Mortuorum sine interventu Vicarii Foranei; Sac. Cong. Episcop. in Cremon. 10. Junii 1603.

Attenta dispositione Tridentini cap. 3. sess. 25. de reform. non potest Episcopus delegare facultatem Vicariis Foraneis, sed tantum Vicariis Generalibus concedendi literas monitoriales pro rebus deperditis, seu subtrahis; Sac. Cong. Conc. 25. Junii 1655. Et antea ead. Sac. Cong. 8. Februarii 1590. declaraverat, non licere Episcopo hanc facultatem alteri, quam Vicario Generali delegare, neque specialiter, apud Pascuc. tit. de Vicario & Pitonium constii. ad Episcopos n. 1206.

Episcopus praeter Vicarium Foraneum non debet retinere in locis diocesis alios Potentatos; Sac. Cong. Episcop. in Ferentina 4. Augusti 1690. apud Monacell. part. 1. tit. 1. formal. 6. num. 2.

Vicariis Foraneis obedire debent omnes Curati, & alii Clerici, cujuscumque Dignitatis sint, alias per Episcopum puniri possunt; Conc. Mediolan. I. part. 2. tit. de Vicariis Foraneis.

Vicarii Foranei habent facultatem in unum congregandi semel in mense Presbyteros suae Regionis, seu

seu loci, ut conferant inter se super difficultatibus Parochiarum, & curis animarum; Conc. Mediolan. l. loc. cit.

28 Eorum officium est inquirere de vita, & moribus Clericorum, an Parochi, & Presbyteri sui Vicariatus habeant libros, quos habere debent, an observent decreta synodalia, an eorum incuria divinus cultus aliquid detrimenti patiatur? & de his omnibus ad Episcopum relationem facere; Concil. Mediolan. loc. cit.

29 Tenentur significare Episcopo curatos non residentes in sua regione; Concil. Mediolan. l. part. 2. tit. de Residentia.

30 Vicarius Foraneus dependet à Vicario Generali, nisi specialiter ab Episcopo justa de causa aliquando ab ejus jurisdictione eximatur; Communis.

31 Non permittit Episcopus Vicarium Foraneum retinere nisi unum Notarium; Sac. Congreg. Immun. in Spoletana 16. April. 1651. lib. 4. decr. Paul. pag. 181.

32 Vicarii Foranei non habent facultatem extrahendi confugitos; Sac. Congreg. Immun. in Spoletana 29. Maji 1629. lib. 1. decr. Paul. pag. 139.

33 Quare quoad extrahitionem Sacerdotis, & Clerici factam à Vicario Foraneo, Sacra Congreg. injungit Episcopo reintegrari ecclesiam, & dicti Vicarius consulat conscientiam suam; Sac. Congreg. Immun. in Theanen. 19. Febr. 1704. lib. 3. decr. Vallem. p. 558.

34 Vicarius Foraneus ob datam licentiam extrahendi ab ecclesia pro facienda recognitione corporis delicti contrahit excommunicationem; Sac. Cong. Immun. in Urbeverana 31. Aug. 1695. lib. 1. decr. Vallem. pag. 213.

35 Idem contrahit irregularitatem, & pro dispensatione remittitur ad Sacram Congreg. Concil. Sac. Cong. Immun. ib.

36 Aliquando tamen conceditur eidem facultas extrahendi à locis immunibus ad sex menses, & pro arbitrio Episcopi, ita tamen ut extracti ducantur ad carceres curiæ ecclesiasticæ; Sac. Cong. Immun. in Camerinen. 16. Novemb. 1639. lib. 2. decr. Paul. pag. 64.

37 Vicarii Foranei dicuntur illi, qui in certa parte diocesis extra civitatem Sedis episcopalis, vel in oppidis per Episcopum constituuntur, ut ibi jurisdictionem quandam exercent; cap. Romana 1. de offic. ordinarii in 6. Et ab ipsis appellari potest ad Episcopum. Benedict. XIV. de synod. dioces. lib. 3. cap. 3. num. 5. Antiquissimi sunt, & origo eorum ad Chorepiscopos est referenda. Idem ib. num. 6. Chorepiscopis enim suffecti sunt Archiepiscopi, Archidiaconi, & Decani rurales. Idem ib. num. 7. Vide de Chorepiscopis verb. Episcopus art. 1. num. 36. ad 41. ubi qui ipsi fuerint, quod eorum officium, & quare ab ecclesia sublatis Vicarii Foranei in Italia etiam ante S. Carolum Borromæum esse cœperunt, ut in aliis locis. Idem ib. num. 8. contra aliquos aliter sentientes; sed minorem in Italia obtinent jurisdictionem. Idem ib. num. 9. Si Parochi sint, synodo diocesana intervenire debent. Si non sint, tenentur, si Episcopus eos vocet, idque expedit, quoniam ab istis tamquam oculatis testibus melius, quam à Vicario Generali certior fieri poterit de iis, quæ in remotis diocesis partibus occurrunt, & aliquam fortasse Sanctionem exposcunt. Idem ib. num. 10.

38 Vicario Foraneo distingui debet is, qui extra Urbem cum aliqua delegatione universitatis causarum ab Episcopo constituitur. Ille enim nec in persona, nec in dignitate constituitur censor, nec præcedentiam ratione officii supra alios Presbyteros obtinet; Monacell. in formul. legal. practic. l. tit. 1. n. 2. & seq. Schmier. jurisprad. canon. civil. lib. 1. tract. 5. cap. 6. sect. 4. in supplement. q. 1. n. 3. ubi quod solet deputari pro levibus dumtaxat & modicis causis.

39 Hic vero majorem dicitur habere prærogativam, & jurisdictionem. Quinimmo si deputatus sit ad universitatem causarum perinde ac ille qui residet in Urbe, dici poterit Vicarius Generalis, & sic in dignitate constitutus capaxque delegationis Apostolicæ; & id quia Vicarium Generale non facit qualitas loci, sed generalitas causarum; Sbrozz. de Vicar. Episc. lib. 1. quest. 20. n. 11. Schmier loc. mox citato. ubi quod si rescriptum aliquod Pontificum ad Vicarium Generale dirigatur in

materia gratiosa, erit in arbitrio Impetrantis cuiusmodi illud præsentare velit, poterique electus ab Impetrante Vicarium ad executionem privative procedere.

VICARIUS GENERALIS EPISCOPI.

ARTICULUS I.

Quoad ea, quæ concernunt ejus esse, constitutionem, & Jurisdictionem.

SUMMARIUM.

- 1 Vicarius Generalis nomine quis intelligatur.
- 2 Vicarius Generalis Episcopi in jure appellatur etiam Officialis.
- 3 Episcopus potest constituere Vicarium Generale ab absque consensu, vel consilio Capituli.
- 4 Immo Episcopus non tantum potest, sed etiam ordinario tenetur Vicarium Generale constituere.
- 5 Si tamen Episcopus velit cautus per se tractare, sitque peritus jurista, & per se sufficiens ad eas expediendas, præsertim si Episcopatus non sit amplius, cogi non potest ad constituendum Vicarium.
- 6 Secus vero non foret, si Episcopus non esset peritus jurista, & non esset per se sufficiens ad omnia commode expedienda. Tunc enim cogitur Episcopus Vicarium constituere, vel ei mittitur à Papa, seu à Sac. Congregat.
- 7 Et talis Vicarius est vere Vicarius Apostolicus.
- 8 Episcopus potest etiam binos Vicarios Generales æque principales, seu in solidum constituere, maxime si diocesis sit multum ampla.
- 9 Sed debet eos constituere in eodem loco, ubi Sedem habet.
- 10 Immo potest Episcopus plures habere Vicarios Generales, si ita servetur de consuetudine.
- 11 Et à fortiori, si habeat plures civitates, seu dioceses unitas; nam tunc debet in unaquaque tenere suum Vicarium Generale.
- 12 Præsertim si dicta ecclesie, seu dioceses unite inter se multum distent.
- 13 Rota tamen pluribus adductis, & multi classici Doctores expresse tenent, quod possit Episcopus in uno tantum Episcopatu Vicarium Generale constituere, ad quem accedere tenentur subditi utriusque diocesis, ad num. 14.
- 15 Episcopus non debet habere plura tribunalia, vel plures Vicarios justa numerum dominiorum, ad qua se extendit diocesis, nisi adit ad id specialis concessio, aut provisio Apostolica, aut consuetudo legitime præscripta.
- 16 Vicarius constituitur aliquo in loco, vel parte diocesis cum facultate generali pro omnibus causis ejusdem loci, vel partis, est solum Delegatus, non autem Vicarius Generalis Episcopi, ideoque litteras Apostolicas exequi nequit.
- 17 Episcopus nequit creare Vicarium Generale antequam possessionem Episcopatus apprehenderit, quamvis fuerit per Papam pronuntiatus Episcopus.
- 18 Episcopus debet in Vicarium eligere Clericum saltem prima Tonsuræ, non vero Laicum.
- 19 Clericus conjugatus, licet cum unica, & virgine, non potest esse Vicarius Generalis Episcopi.
- 20 Et multo minus Bigamus.
- 21 Nec Regularis potest esse Vicarius Generalis Episcopi.
- 22 Nisi cum aliis requisitis habeat etiam licentiam Apostolicam, legendi extra clausura.
- 23 Vel nisi sint jurisperiti deputati ab Abbate habentis jurisdictionem quasi episcopalem.
- 24 Sacra Congreg. interdum concedit licentiam assumendi Vicarios Generales.
- 25 Vicarius quoque Patriarche Latini Constantinopolitani solet esse de Minoribus de Observantia.
- 26 Vicarius Generalis in regnis Hispaniarum non po-

test esse, nisi qui in Ordine Sacerdotali est constitutus.

27 Vicarius Generalis, vel Capitularis non potest esse Parochus, maxime si parochiam habeat extra civitatem, & multo magis extra diocesim.

28 Neque potest Vicarium retinere, ex eo quod habeat coadjutorem in parochia.

29 Vicarius Generalis esse non potest nepos, vel filius fratris Episcopi.

30 Nec frater, præsertim si non est Doctor.

31 Immo laudatur qui nec patrelem vult habere Vicarium.

32 Nec alium consanguineum.

33 Nisi hoc Sacra Congreg. ad aliquod tempus concedat propter bonas qualitates subiecti, ac aliorum idoneorum penuriam.

34 Originarius civitatis, vel diocesis non potest esse Vicarius Generalis.

35 Solet tamen Sacra Congregatio sæpe dispensare, ut Episcopus præsertim residens tenere possit Vicarium diocesanum multis de causis, quæ assignantur.

36 Penitentiarius non potest esse Vicarius Generalis.

37 Ut quis possit constitui Vicarius Generalis, debet esse ætatis ralem 25. annorum.

38 Item debet esse Doctor, vel Licentiatum in jure canonico.

39 Aliquando tamen Sacra Congregatio id concedit, præsertim si Episcopus jurista residet.

40 Item Vicarii Abbatum debent esse idonei Doctores, et jurisdictionem exercent extra monasterium.

41 Vicarius Generalis Episcopi habet jurisdictionem ordinariam, & non delegatam.

42 Idem est tribunal, seu auditorium, eadem jurisdictione Episcopi, & Vicarii sui Generalis.

43 Hinc à Vicario Generali regulariter non datur appellatio ad Episcopum.

44 Unde à Vicario Generali Episcopi appellatur, omisso Episcopo, immediate ad Archiepiscopum.

45 Adit. inseruntur.

VICARIUS Generalis nomine intelligitur ille, qui constituitur est ab Episcopo cum generali potestate, ut ejus vices gerat in eodem loco, in quo ipse Sedem habet, ac jus dicere solet, ita ut censetur idem esse Auditorium utriusque; cap. Non putamus 2. de consuetudine in 6. Barbosa de offic. & potest. Episcop. part. 3. allegat. 54. num. 127. cum plurimis ibi citatis, Reiffenstuel. lib. 1. decretal. tit. 28. n. 16. & alii plures; vide infra n. 9.

2 Vicarius Generalis Episcopi in jure appellatur etiam officialis; cap. Cum in generali 3. de officio Vicarii in 6. ibi: Officialis, aut Vicarius Generalis Episcopi, & concordat cap. Qui nullus 3. de temporibus ordinat. in 6. ubi ille ipse, qui antea dicebatur Officialis Episcopi, paucis interjectis lineis, vocatur ipsis in spiritualibus Vicarius Generalis.

3 Episcopus potest constituere Vicarium Generale ab absque consensu, vel consilio Capituli; Communis, sic approbante praxi, & consuetudine generali, quæ in talibus est servanda; cap. Ea noscitur 6. de his, quæ fiunt à Prælati sine consensu Capituli.

4 Immo Episcopus non tantum potest, sed etiam ordinario tenetur Vicarium Generale constituere; Abbas in cap. Quoniam 14. num. 3. de officio Ordinarii, Reiffenstuel. lib. 1. decretal. tit. 28. num. 65. Bald. in l. Aliquando num. 1. in quarta oppositione ff. De offic. Procons. Lacell. Institut. Canonice. lib. 1. tit. de offic. Vicar. in Glossa verb. Non potest; Covarrub. lib. 3. varior. resol. cap. 20. num. 4. & plures alii, quos allegat Barbosa de offic. & potest. Episcop. part. 3. allegat. 54. num. 125. & Pellegri. de Vicario Generali Episcop. sub sect. 5. num. 1. per text. incap. Volamus 2. cap. Quia in quibusdam 4. dist. 89. cap. In nova 16. quest. 1. cap. Quoniam 14. cap. Inter cetera 15. de officio judicis Ordinarii.

5 Dicitur autem notanter Ordinarie, quia si Episcopus velit causas per se tractare, sitque peritus jurista, & per

se sufficiens ad eas se solo expediendas, præsertim si episcopatus non sit amplius, cogi non potest ad constituendum Vicarium Generale, ut pluries tenuit Rota, & signanter in Calaguriana Fructuum 18. Martii, coram Cavalerio, in Valven. & Salmonen. Præminentiarum 18. Junii 1674. coram Emerix Decano, & in eadem Valven. coram eodem Emerix 11. Martii 1695. Et quod Episcopus non possit coarctari ad retinendum Vicarium, expresse declaravit Sacra Congregat. Concilii 11. Februarii 1696. approbando dictum votum Rotæ editum 18. Junii 1694. & 11. Martii 1695. coram dicti Emerix in Valven. Præminentiarum apud Monacell. part. 1. tit. 1. formul. 1. num. 6. & apud Piton. constituit. ad Episcopos num. 1954. & tenent Doctores plurimi allegati à Barbosa loc. cit. num. 125. à Pellegri. loc. cit. n. 5. à Reiffenstuel loc. cit. num. 66. alique passim.

Secus vero foret, si Episcopus non esset peritus jurista, vel ob vastitatem episcopatus, & ingentem causarum molem, aut ob aliam causam non esset sufficiens per se ipsum solum ad omnia commode expedienda; quia tunc, ut dicit ipsamet ratio naturalis, teneretur Episcopus Vicarium Generale constituere, ut sæpe Sacra Congregatio diversis temporibus præcipere consuevit; alioquin mittitur illi ab Urbe, vel aliunde Vicarius pro tali officio exercendo, vel cum Brevis Apostolice, vel cum Litteris Sacræ Congregationis, vel cum Patente Episcopi, qui fuit ad hoc compulsus, ut referunt Nicolius in Flosculis verb. Vicarius Generalis sub num. 39. Pellegri. loc. cit. num. 8. & alii.

Qui insuper norant, quod talis Vicarius missus ab Urbe supradictis modis, est vere Vicarius Apostolicus, & jurisdictionem habet privative quoad Episcopum, nec Episcopus illum removere potest; Sacra Congreg. Episcop. in una civitatis Castellane 2. April. 1591. in Mediolanen. 8. Febr. 1594. in Savonen. 17. Septemb. 1605. in Bisinianen. 18. Martii 1632. in Motulen. 5. Augusti 1650.

Episcopus potest etiam binos Vicarios Generales æque principales, seu in solidum constituere, maxime si diocesis sit multum ampla, ut sic expeditioni causarum facilius consulatur, cum facilius expediantur causæ per plures, quam per unum; cap. Quoniam, de officio Ordinarii, cap. Ad hæc, de officio Archidiaconi, cap. 1. De celebratione missarum, Clementin. Etsi principalis, & ibi Glossa verb. Principalis: ac Cardinalis, & Imola de rescriptis, cap. Prudentiam, ubi Abbas num. 10. de officio Delegati, Ugolin. de officio, & potest. Episcop. cap. 4. §. 6. num. 4. Barbosa cit. allegat. 54. num. 126. Rebuffus in praxi benefice. tit. forma Vicariatus num. 203. Zerola in prax. Episcop. part. 1. verb. Vicarius num. 1. Sbrozz. lib. 1. quest. 50. num. 4. Reiffenstuel loc. cit. n. 67. Pellegri. loc. cit. num. 10. & alii. Notantes tamen, quod eos constituere debet in eodem loco, ubi Sedem habet: nam Generalis Vicarius dicitur ille, qui constitutus est ab Episcopo cum generali potestate, ut ejus vices gerat in eodem loco, in quo ipse Sedem habet, ac jus dicere solet, ita ut censetur idem esse Auditorium utriusque; cap. Non putamus 2. de consuetudine in 6. Bartolus in l. 1. in fine ff. Qui & à quo appellatur, Maranta de ordine jud. part. 4. disp. 5. num. 8. Sbrozz. lib. 1. quest. 28. num. 7. & quest. 69. num. 2. Pellegri. loc. cit. num. 11. Reiffenstuel loc. cit. num. 106. Barbosa cit. allegat. 54. num. 127. cum pluribus ibi allegatis.

Ampliat prædicta conclusio, ut possit Episcopus plures habere Vicarios Generales, si ita servetur de consuetudine; Sac. Cong. in Lancianen. 24. Martii 1599. & 21. Februarii 1614. apud Quarant. verb. Capitulum Sede vacante: Nicolium in Flosculis verb. Vicarius Generalis num. 40. & Pellegri. loc. cit. num. 12.

Et à fortiori si habeat plures civitates, seu dioceses unitas, nam tunc debet in unaquaque tenere suum Vicarium Generale; Sacra Congreg. Episcop. in Surina 7. Junii 1594. apud Nicolium loc. cit. sub num. 40. Pellegri. loc. cit. num. 13. Piton. constituit. ad Episcopos num. 1919. quamvis ipse fortasse inadvertenter ex Pascuc. referat dictum decretum de anno 1694. 7. Junii.

Et præsertim si dictæ ecclesie, seu dioceses unite 12 in-

BIBLIOTECA CENTRAL